



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispytatio CXII. De diversis hominum statibus, & gratiâ ad illos requisitâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CXII.

De diversis hominum statibus, & gratiâ
ad illos requisitâ.



DIVERSIS gratiâ divisionibus positis, quanta illius sit multiplicitas vidimus, quamque varia vis ad effectus diversissimos producendos, hominemque in iis obtinendis que supra naturalem ejus virtutem sunt, juvandum. Nunc ergo ut quo pacto opem ei suam & operam præstet, manumque ut ita dicam porrigat, clarius perspicimus, variâ naturæ status, quorum singulis juxta propriam cuiusque exigentiam opituletur gratiâ, distinguendi.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quedam circa vires naturæ lapsæ & puræ.

I.
Natura lapsæ debilitas unde oritur.



NATURÆ lapsæ debilitas contingere duobus modis potest, vel scilicet per ablationem alicujus, quod ad constitutionem ejus naturalem spectabat, vel per additionem alicujus alterius per peccatum, quod in purâ naturâ non fuisset. Certum verò est non esse factam hanc debilitatem per ablationem liberi arbitrii, ut volunt hujus temporis hæretici, cum sine libero arbitrio nec peccare homines possint, nec mereri, nec quidquam boni etiam moralis exercere. Deinde nihil ad integritatem hominis pertinens ablatum est, cum ad hominis constitutionem aliud non requiratur, quàm corpus, anima, intellectus, voluntas, & debita membrorum organizatio. Tertio non est facta debilitas ulla vel infirmitas in naturâ, imprimendo illi qualitatem aliquam morbida; nihil enim hujusmodi naturæ per peccatum originale est impressum, ut ostensum est supra. Hic ergo inquirimus quo alio modo diminui poterint naturæ vires, ut mirum minores sint in naturâ lapsâ, quàm futuræ fuissent in purâ.

Liberum hominis arbitrium per peccatum non est ablatum.

Qualitas morbida per peccatum naturæ non est impressa.

II.
Primo est de naturâ præcisè ut in peccato originali existit.

Notandum secundo sermonem esse de naturâ nostrâ præcisè prout in solo peccato originali existit, non personali; peccatum enim personale generando habitum vitiosum, positivè debilitat naturam, eamque minus idoneam reddit ad amplectendum bonum, & actus virtutum exercendos.

III.
Tres hominis status naturæ integræ, lapsæ, & puræ.

Tertio ad hujus & aliarum difficultatum intelligentiam notandum, in hac materiâ tres præcipuè status considerari posse: primus (ut omitamus status gloriæ & damnationis, qui non spectant ad vitam) est naturæ originali justitiâ & innocentia instructæ, qualem in primâ suâ creatione habuerunt primi parentes, & à nonnullis dicitur status naturæ integræ. Secundus est naturæ lapsæ, & per peccatum jam corruptæ. Tertius demum naturæ puræ, ut aiunt, seu nec per gratiâ ad altiorem statum elevatæ, nec peccato etiam infectæ, sed sibi ac viribus suis naturalibus planè relicta. De hoc &

priore statu, loquendo de solo peccato originali procedit præsens quæstio. Quartum statum addunt aliqui, nempe naturæ post lapsum per gratiâ Christi reparatæ.

Notandum tamen quarto, posse nonnullos ex his statibus in varios alios subdividi; status quippe ille innocentie seu naturæ integræ, ut aiunt, quem habuerunt primi parentes multa complectebatur, quorum singula statum per se constituerunt, nam præter gratiâ habitualem & habitus infusos, habebant plenam subjectionem appetitus respectu rationis, seu carentiam fomitis, immunitatem etiam à morte; imò ab omni dolore & tristitia, à peccatis etiam venialibus, ut volunt multi, utpote quæ illius status, quamdiu in eo persisterent felicitatem & perfectionem non decebant. Unum ergo ex his haberi poterat sine reliquis, sicque constituere diversos status.

Supponimus verò hic contra Michaëlem Baïum, posse hominem creari in purâ naturâ, seu sine elevatione ad gratiâ & gloriâ, vel etiam sine ligamine appetitus & rebellionis portionis inferioris contra rationem: dicebat enim hic auctor hominem ex naturâ suâ hæc exigere, & consequenter non potuisse connaturaliter sine ordinatione ad visionem beatificam creari, ut constat ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. contra eum editâ, in qua multa illius hæc de re propositiones prohibentur, ut Propositionio 22. 24. 25. 27. & alia: cui etiam simile quiddam asserere videtur Durandus in 2. d. 28. quæst. tertiâ.

Hanc nihilominus sententiam, non obstantibus horum Pontificum definitionibus mordicè defendit Jansenius, & tribus libris integris ostendere conatur statum puræ naturæ esse impossibilem. Afferit proinde non posse hominem creari, nisi ad gratiâ & gloriâ, ac finem supernaturalem ordinatur. Imò eousque procedit, ut sententiæ quæ hominem docet in purâ naturâ creari posse, morti, morbis, aliisque vitæ hujus miseriis obnoxium, gravissimas inurat censuras, eam namque ait unam esse ex primariis Pelagii erroribus, & ex purulentis Manichæi fontibus profluxisse.

Contrarium tamen ut certum cum omnibus Theologis est tenendum, hanc scilicet humanæ naturæ ad gratiâ & gloriâ elevationem, esse illi

Quartus status naturæ reparatæ.

IV.
Alia fieri possunt hominum divisiones.

V.
Nil obstat quo minus homo in purâ naturâ, seu sine elevatione ad gratiâ & gloriâ creari possit.

VI.
Negat Jansenius statum puræ naturæ esse possibilem.

VII.
Elevatio ad gratiâ est humana naturæ supernaturalis, & indebita.

supernaturalem, & planè indebitam, subjectionem etiam appetitus respectu rationis, & ligamen fomitit, seu carentiam rebellionis, & id genus alia fuisse respectu primorum parentum peculiaria privilegia, & quæ si in purâ naturâ creati fuissent, connaturaliter non habuissent, sicut nec immortalitatem. Sic Apostolus ad Romanos 6. v. 23. *Gratia Dei, inquit, vita æterna, & ad Titum 3. v. 7. Ut iustificati gratiâ ipsius heredes simus secundum spem vite æternæ.* Genesis etiam tertio, v. 19. dixit Adamo Deus, *Pulvis es, (nempe naturâ tuâ) & in pulverem reverteris.* Quæ aperte innuunt hominem, non ex natura sua, sed ex Dei dono habere ista gratuitò sibi concessâ: & confirmatur ex illo Ps. 8. v. 5. ubi dicit Propheteta. *Quid est homo quod memor es ejus, aut Filius hominis, quia visitas eum: minuiisti eum paulo minus ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum &c.* quibus verbis insinuat hominem ex se nihil esse, Deum verò donis gratuitis eum ornasse, & ad statum ferme Angelicum, ex sua benignitate extulisse.

Donis hæc Deus hominem ornat gratuitò.

SECTIO SECUNDA.

Sintne eadem vires nature lapsæ & puræ.

I. **T**RES, ut sectione præcedente vidimus, sunt nature humanæ status: primus felicissimus ille status justitiæ originalis, ubi appetitus rationi & ratio Deo subiciebatur, ita ut homini facillimum fuerit peccatum omne effugere, & se in innocentiam, nisi ultro nocens esse vellet, conservare. Hic status alios duos, puræ nature scilicet & nature lapsæ, multis gradibus antecellebat, neculla inter hos & illum fieri potest comparatio. Duos ergo alios inter se conferimus, & utrius vires sint majores, vel potius cujusnam sit major infirmitas inquirimus.

II. Alvarez d. 45. & 47. asserit hominem in naturâ lapsâ esse magis debilem, quam fuisset in purâ, ac proinde per peccatum diminutas esse vires ejus naturales intrinsecas, quam sententiam ait multos tenere ex Thomistis. Eandem etiam amplectitur Stapletonus lib. 2. de Justificatione, cap. 7. idem insinuat Pater Benedictus Justinianus in cap. 1. epist. primæ B. Joannis versu 8. & videtur mens Gregorii in 2. d. 30. q. 1. art. 2. ad tertium.

III. Secunda tamen & verior sententia affirmat, licet natura humana sit vulnerata, & in deterius commutata per peccatum, quia nimirum per illud spoliata est originali justitiâ, & donis Dei gratuitis, quibus ita subiciebatur appetitus rationi juxta supra dicta, ut facillimum ei fuisset vitare omnia peccata, & alia hujusmodi: jam tamen, inquit hæc sententia, eadem vires intrinsecæ manent in naturâ lapsâ, quæ forent si fuisset creatus homo in purâ naturâ, nec alio modo differre aiunt hi auctores hominem in naturâ lapsâ & purâ, quam hominem nudatum à nudo; sicut ergo hic eadem retinet intrinseca quæ ille & solum connotat quod habuerit vestes, quod non connotat iste, ita in præsentî homo in natura lapsa dicitur nudatus, spoliatus, vulneratus, &c. hoc autem non arguit ipsum esse pejore loco quoad intrinseca, quam sit alter, qui est in pura natura, nec quidem minus illo habere, sed solum habere minus seipso, ut in statu elevato. Natura nostra itaque prout modò est, dicitur nudata, natura pura di-

Homo in naturâ lapsâ & purâ est sicut homo nudatus & nudus, pauper & spoliatus.

citur nuda, sicut etiam illa dicitur lapsa, non hæc, licet æquè sit in imo ac illa, cum neutra ascendat vel unum gradum supernaturalitatis: quemadmodum duobus hominibus contingeret humi sedentibus, vel plebeis, quorum alter de loco altiore vel dignitate dilapsus esset, alter non, sed ad altiorum gradum nunquam fuisset evectus.

Dices: jam in hominibus in natura lapsa est rebellio appetitus contra rationem, ex quo apparet naturam esse corruptam, & vulneratam, etiam in naturalibus, ergo est debilior quam foret in pura natura. Respondetur negando consequentiam, in pura enim natura, data occasione insurgeret appetitus contra rationem, non minus quam modo, ligamen namque appetitus & fomitit in statu innocentie non à natura, sed à dono illo peculiari gratis ei à Deo tunc concessio proveniebat: unde sicut ablato retinaculo fluctuat navis, & hinc inde procellis ac tempestatibus agitur, ita natura lapsa contingit in præsentî; ut enim navis ventorum ita natura cupiditatum vi jactatur, & omnem in partem motibus identidem contra rationem insurgentibus propellitur. Quare Patres, & in particulari sanctus Augustinus lib. 13. de civitate Dei cap. 13. inobedientiam illam membrorum in primis Parentibus, quæ ex peccato secuta est, ait ex subtractione gratiæ originem duxisse. Quod etiam docet lib. 2. de Genesi ad literam, cap. 21.

Ratio demum est: Rebellio quippe appetitus, seu partis sensitivæ, ex ipsis principis intrinsecis nascitur, & naturâ ipsius appetitus, utpote qui ex se naturaliter tendit in bonum delectabile: unde cum hujusmodi objecta naturaliter occurrant, motus isti appetitus naturaliter oriuntur in homine, nisi Deus concursu extraordinario & peculiari providentia, vel illos reprimat, vel objecta amoveat. Cum ergo hæc objecta æquè naturaliter occurrere potuissent in natura pura, ac in lapsa, æquè in illa atque in hac potuissent naturaliter esse rebellio.

Deinde hoc idem ex S. Dionysio ostenditur, qui de Divinis nominibus, cap. 4. ait Angelos licet per peccatum amiserint dona gratuita, dignitatem tamen suam naturalem non perdidisse: idem ergo à fortiori dicendum de homine quoad vires naturales intrinsecas. Quando ergo in objectione dicitur, hominem per peccatum vulneratum esse, etiam in naturalibus. Respondetur vel fermonem esse de peccato actuali & personalis, quod generat habitum vitiosum, quo vires ad bonum contrarium debilitantur, & peculiariis iis ad malum innascitur propensio: vel si sermo sit de solo originali, ideo per illud vulneratus dicitur, etiam in naturalibus, quia perdidit dona gratuita, quæ in statu illo innocentie habuit homo, & rectè cum constituebant, motusque pravos perfectissimè injecto veluti freno cohibebant. Licet ergo homo æquales habeat vires modò iis quas habuisset in purâ naturâ, potest nihilominus natura lapsa dici vulnerata, non tamen natura pura, juxta jam dicta, quia scilicet hæc nullo dono fuisset spoliata, sicut illa. Quod constat si homo sine peccato spoliatus fuisset gratiâ originali.

IV. Data occasione nō minus insurgeret appetitus contra rationem in natura pura, quam jam facit in lapsa.

Vnde in natura lapsa provenit rebellio, & motus isti contra rationem.

V. Cum appetitus naturaliter tendat ad bonum delectabile, hujusmodi motus facili oriuntur in homine.

VI. Licet Angelus amiserint dona gratuita, retinent nihilominus dignitatem naturalem.

Quo pacto homo per peccatum vulneratus sit, etiam in naturalibus.

SECTIO TERTIA.

Objectiones contendentes, minores esse vires in naturâ lapsâ, quam fuissent in purâ.

I. Originale peccatum non debilitat naturâ, nisi remota & per accidens.

OBIECTES primò naturam lapsam inde reddi debiliorem, quòd ei superadditum sit peccatum. Contrâ, peccatum originale, de quo solo hic est sermo, non alio modo debilitat naturam, & ad vitia pronam reddit, quam remotè & per accidens, removendo scilicet prohibens, efficiendo nimirum ut iustitia originalis amplius in natura illa non sit, sicut nec fuisset in pura: unde & in natura pura eadem esset infirmitas; quòd enim non esse, seu privatio iustitiæ, jam sit peccatum, & in pura natura non fuisset, nil facit ad majorem infirmitatem naturæ, ac propensionem ad sequendum objecta sensum & ad ruendum in peccatum: sicut five aggeres fluvii alicujus iuste deiciuntur five injuste, non minore impetu irruet aqua fluminis, & campos inundabit.

Res hac declaratur exemplo.

II. Non quis avertit à fine naturali, circa quem in pura natura esset rectè ordinatus; ergo diminuta sunt ejus vires ad rectè agendum, cum unum ex principis ad bene agendum requisitis, sit conversio ad finem, avertit autem à fine tollit aliquid ad rectè agendum requisitum. Respondetur avertionem quidem illam, qua est per modum intentionis alicujus pravæ, deordinare circa ea quæ spectant ad finem, & consequenter impedire operationes bonas, non verò quamcumque habitualement avertionem: sicut nec etiam quamcumque conversio ad finem confert per se loquendo, ad bene operandum, sed illa solum, quæ est per modum intentionis. Adde peccatum originale non esse forsitan propriè avertionem à Deo, de quo alibi.

Qua avertio à fine deordinat circa ea quæ ad finem spectant.

III. In pura natura tam indiguisset homo gratiâ ad servanda mandata, quam nunc in lapsâ.

Sine speciali auxilio, saltem ordinis naturalis, non potuisset quis in purâ naturâ consequi finem naturalem.

Urgebis: homo in peccato, etiam originali, est avertit à fine naturali, circa quem in pura natura esset rectè ordinatus; ergo diminuta sunt ejus vires ad rectè agendum, cum unum ex principis ad bene agendum requisitis, sit conversio ad finem, avertit autem à fine tollit aliquid ad rectè agendum requisitum. Respondetur avertionem quidem illam, qua est per modum intentionis alicujus pravæ, deordinare circa ea quæ spectant ad finem, & consequenter impedire operationes bonas, non verò quamcumque habitualement avertionem: sicut nec etiam quamcumque conversio ad finem confert per se loquendo, ad bene operandum, sed illa solum, quæ est per modum intentionis. Adde peccatum originale non esse forsitan propriè avertionem à Deo, de quo alibi.

Objicies secundò: potuisset homo in pura natura servare omnia mandata, quæ tamen jam sine auxilio gratiæ servare non potest; ergo minores modo habet vires naturales, quam habuisset in pura natura. Respondetur, purè ex viribus naturæ nihil amplius potuisse hominem in statu puræ naturæ, quam jam possit, sed æquè tum indiguisset speciali aliquo auxilio, ordinis saltem naturalis, ac modo in naturâ lapsâ. Urgebis: tunc potuisset naturaliter consequi beatitudinem naturalem, utpote qui ad hunc finem naturaliter ordinatur, cui autem debetur finis debentur & media, ergo potest homo in purâ naturâ servare omnia mandata; ergo majores haberet vires, quam nunc habet in lapsâ, cum nunc id præstare non possit. Respondetur tunc sine speciali aliquo dono, ordinis saltem naturalis, ut dixi, gratiâ à Deo concessa, non potuisse hominem consequi finem suum naturalem, potestate saltem morali, nec omnia mandata servare, quòd tamen non est mirum, cum & homines modo in natura

elevata egeant speciali auxilio, ut mandata omnia servant, & consequantur finem, ad quem ordinantur.

Objicies tertio: homo ratione peccati, etiam originalis, incurrit captivitatem diaboli, ut declarat Concilium Tridentinum sessione 5. de peccato originali, num. 1. ergo damon majorem in eum habet potestatem, & liberiùs potest illum tentare, ergo & ipse hoc titulo est debilior. Omissis reliquis non video quo modo teneat hæc ultima consequentia, si loquamur propriè de viribus ad resistentiam; esto enim pluribus modò sit tentationibus obnoxius, non tamen sequitur vires ejus purè naturales esse imminutas, cum æquè illis tentationibus jam resistere possit, ac in pura natura potuisset, si illis à damone tunc fuisset impetitus.

Dixi omissis cæteris, Concilium namque illo loco loquitur de Adamo, qui per peccatum personale Deum offenderat. Tandem demum Concilium de posteris etiam Adami esse locutum, quòd scilicet & illi per peccatum originale, ut morti obnoxii fuerunt, ita & diaboli captivitatem incurrerint, solum hinc sequitur posse damonem peculiari hoc titulo hominem nunc tentare, non tamen quin absolute tentare eum æquè graviter potuisset in pura natura: sicut modo æquè vehementer, imò vehementiùs interdum tentat justos, quam peccatores. Quòd verò Job, nisi ex peculiari Dei permissione, tentare damon non potuerit, non procedit hoc de quacunque tentatione, seu internâ, sed quòd non potuerit bona ejus auferre, eumque gravi illo morbo affligere, nisi Deus specialiter id ei permisisset; si enim hoc illi passim permitteretur, totum mundum everteret, & homines pro libito occideret, præsertim ubi in peccatum aliquod mortale incidissent.

Objicies quartò: hominem in natura lapsâ indignum esse speciali aliquo adjutorio, quòd nihilominus habuisset in pura natura. Respondetur, si hoc adjutorium sit merè ordinis naturalis, & jure connaturalitatis homini secundum se debitum, non eo privandum in natura lapsâ, sicut nec aliis donis privatur, purè naturalibus. Neque ulla est ratio cur hoc dono potius indignus sit, quam aliis. Adde aliud esse quempiam re aliqua esse indignum, aliud eam esse ei indebitam; multa quippe possunt, etiam dignis esse indebita, ut opes & dignitates, & indignis similiter debita, ut jam magis declarabitur.

Quare non sequitur ex eo quòd homo auxilio aliquo speciali sit indignus, propterea eo privandum, si connaturaliter sit naturæ debitum; sicut nec hominea privat Deus opibus & aliis, ad vitam & vitam sustentandam necessariis, nec potentis, tum intellectualibus, tum sensitivis, quæ frequenter multò perfectiores sunt in peccatoribus, quam in justis, licet in iis sit indignitas respectu harum rerum, non in justis. Non ergo spectat Deus hanc indignitatem, sed connaturalem naturæ exigentiam, & hæc illi ab æquissimo Universi moderatore præfertur.

IV.

Dicitur homo per peccatum originale incurrit captivitatem diaboli; ergo est debilior.

Respondetur hæc diaboli captivitatem non arguere vires ejus esse nunc minores.

V.

Concilium loco citato loquitur præcipue de Adamo.

Quo pacto nisi ex peculiari Dei permissione, non potuerit diabolus tentare Job.

VI.

Omne donum purè naturale æquè habere potuisset homo in naturâ lapsâ, ac purâ.

VII.

Non est idem aliquem esse re quædam indignum, & rem illam esse ei indebitam.